



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 1. Clerici nomen unde, & quid importet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)



LIBER TERTIUS. DECRETALIUM.

TITULUS I.

De Vita & Honestate Clericorum.

Quest. 1. Clerici nomen unde, & quid importet?



R Esp. Nomine clericorum desumpto à græco vocabulo κληρικός quod sortem seu hæreditatem significat, intelliguntur personæ quædam, quæ ex fidelibus electæ per initiationem Ordinis alicujus sacri vel minoris, aut saltem primæ tonsuræ aliave ratione ad Dei cultum Ecclesiæque ministerium specialiter deputatæ, fors, hæreditas & pars peculiari Dei sunt; vel etiam quorum à temporalibus abstractorum specialiter ipse Deus fors & pars est. *c. 1. dist. 21. & can. clericus, 5. q. 1.* Et hinc contra distinctæ à cætera fidelium istiusmodi speciali electione & deputatione carentium multitudi- ne, qui desumpto nomine à græco λαός, quod populum significat, Laici dicuntur.

Quest. 2. An & qualiter clericatus sit honor & dignitas?

R Esp. Vel ex hoc ipso, quod Clerici specialiter in sortem Domini vocati & segregati à laicis altaris ministerio divinisque obsequiis specialiter mancipati, & hinc merito specialibus super ceteros privilegiis & prærogativis afficiantur, ut patet ex utroque Jure, dubium non est, Clericos, etiam simplices, pro laicis honorandos & reverendos esse, & digniores laicis, semperque laicos præcedere debere, ut *C. de Luca. de præminent. dist. 23. num. 9.* Clericatus, etiam præscindendo à Sacerdotio, honorem continere juxta illud Imperatoris in *L. officiales. C. de Episc. & cler. ad clericatus honorem putaverit transeundum.* Quamvis propter dictam supra statum laicalem cum honore præminentiam in sensu quodam laxiore dici possit dignitas *Arg. c. denique. dist. 4. & Can. admittuntur dist. 54.* Dignitatem tamen, accipiendi hoc nomen propriè &

R. P. Lenr. Jur. Can. Lib. III.

strictius pro præminentia cum administratione & jurisdictione, ut *Fagn. in c. ad hæc de probat. n. 34.* cum *Archid. in c. 1. de consuetud. in 6.* non importat, multoque minus hodie inter dignitates, quæ à patria potestate solvunt, numeratur. *Struv. in ff. ut. 7. lib. 1. de adopt. & emancip. num. 67. & Muller. ad eund. ibidem lit. d.*

Quest. 3. Qui in specie veniant nomine Clericorum?

R Esp. primò: In materia favorabili nomine Clericorum, & quidem strictius usurpato, veniunt, quotquot primæ tonsuræ initiati quacunque demum dignitate, etiam cardinalitâ & pontificali, præfulgeant. *Barb. in collect. ad l. 3. decret. tit. 4. num. 6.* Eo verò sumpto latius veniunt regulares & monachi, & quæcumque religionem professi, ut Equites Teutonici & Melitenes, fratres laici, quos aliqui Ordines conversos vocant, etiam si primæ tonsuræ non initiati. *Felin. in c. 1. de heret. num. 6. Tusch. v. clericus concl. 377. num. 2. Sylv. v. clericus. num. 1.* Unde etiam, si similes pro pensione aliqua ecclesiastica se clericos nominant, de mendacio redargui nequeunt, ut cum *Lotterio observavi in foro benef. p. 1. q. 309.* Item eremita, qui licet non professi religionem aliquam, habitum tamen de manu Episcopi eremiticum receperunt, & sub ejus obedientia vivunt, deputati pro servitio alicujus ecclesiæ vel oratorii, censentur personæ ecclesiasticæ. *Fagn. in c. nullus. de for. comp. num. 65. Card. in clem. per tuas. de praf. n. 6. Butrio. cons. 19. num. 19.* Secus videtur de eremitis, qui neque ullam religionem professi, neque ulli ecclesiæ aut oratorio autoritate Prælati ecclesiastici deputati, ad libitum susceperunt & deserunt habitum eremiticum, & hinc inde vagantur. Hi enim; utpote personæ merè laicæ, nullo privilegio fori gaudentes, nomine clericorum non veniunt. *Card. l. c. n. 9. Fagn. l. c. n. 63. Riccius p. 2.*

A

resolus.